De delictis publicis,

praecipua juris Patriæ publici et criminalis ratione habita,

Dissertatio Academica,

quam,

ex speciali S:æ Reg. Maj:s Gratia

et

jubente Ampl. Senatu Acad. Lund.,

p. p.

CHRISTIANUS NAUMANN,

Philos. Mag., Jur. Utr. Cand., Reg. Acad. Lundens. Secretarius,

et

Respondens

OLAUS JUSTUS BOGISLAUS BERGKLINT,

Scanus.

In Acad. Carol. die XXX Aprilis MDCCCXLV.

III.

Lundæ,

Typis Berlingianis,

MDCCCXLV.

quidem determinatione lex ipsa declarare videbatur, ejusmodi actiones minoris habitas esse momenti; partim denique ut, criminibus e nativa serie divulsis [6]), poenæ, his irrogandæ, justæ debitæque non essent. A nostra hac disputatione alienum est quæstionem a multis disceptatam proponere ulteriusque enodare: utrum hoc secum habeat ipsa vis et natura criminis, ut juris sit violatio, nec ne; — hanc sententiam in promtu esse existimamus: civitatem poenis afficere non quia lædantur jura privatorum (nam actionibus civilibus persequendis processus inservit civilis), sed quia certa quædam actio in salutem totius civitatis vim habeat noxiam.

Quibus propositis unicuique erit persuasum, delictorum in publica et privata divisionem, de qua agitur, certis definitisque limitibus minime esse circumscriptam. Hæc quidem delicta *tali modo sibi invicem contraria haberi,* parum valet vel ad legislationem vel ad doctrinam, siquidem salus civium cum salute civitatis tam arcte cohæreat, ut qui huic nocuerit, is etiam illis nocuisse censendus sit. Neque tamen hæc eo a me consilio disputantur, ut velim aut mihi persuadere aut lectoribus, diversum, quem crimina sequuntur finem, sive scopum, *in jure criminali ad artem redigendo* nullius esse momenti. Cum enim alia crimina proxime in civitatem ejusque instituta directa sint, ita ut in his criminibus violatio privatorum non nisi adventitium quoddam habeatur, alia vero proxime privatos adgrediantur, non nego equidem, diversum hunc finem etiam legislatori esse observandum et unicuique, qui omnem criminum varietatem artificiose digestam generatim componere velit. Sed tamen videat idem oportet, nonnulla esse tamquam *intermedia,* quæ neque ad hanc solum neque ad illam commode referantur classem: unde sequitur, alteram ab altera certis limitibus distincte sejungi non posse.

§ 3.

Criminum vero, quæ in ipsam civitatem directa sunt, quædam vitam ejus et tamquam personam adgrediuntur, quæ igitur optimo jure suum ipsorum habent genus, a reliquis criminibus segregatum, cujus quidem limites heic describere conabimur.

---

[6]) Sic e. c. Jus Criminale Bavaricum (Art. 205) *crimen incestus* ad classem refert, cui nomen dedit: "Missbrauch rechtlicher Gewalt zu persönlichen Misshandlungen, und zwar durch Verführung zur Unzucht"; quam quidem notionem paucis tantummodo hujus criminis casibus convenire facile invenimus. Cfr. *Mittermaier* l. c.

Cujusque jura societatis in interiora dispesci possunt et exteriora. Competunt illa huic ipsi societati, membra ipsius si spectamus, hæc alios spectant societati non adjunctos, vel alias quoque societates. Nituntur, quæ interiora appellamus jura, aut contractu ut ajunt sociali, unde efficitur ut ex ipso societatis consilio et instituto pendeant, aut competunt societati quatenus (ut cum nostris loquar hominibus) persona moralis seu juridica existimatur, nulla habita ratione eorum, quæ specialia continet hic ipse contractus. Hujus generis sunt jura societatis in libertatem et fortunas. Vocatur *publica* quæ inter societatem ejusque membra intercedit ratio, *siquidem ipso contractu sociali nitatur;* cum e contrario *privata* appellatur ea ratio, quæ vel inter singula membra societatis invicem, vel inter societatem, *quatenus persona moralis existimatur* (nulla habita contractus socialis ratione) ejusque singula membra non potest non intercedere. Valent hæc etiam de societatibus civilibus atque civitatibus [7]). Distinguimus eam quæ intercedit rationem: 1. Inter civitatem et privatos huic ipsi non subditos, vel etiam inter civitatem aliasque civitates; 2. Inter subditos mutuam. Qua quidem duplici ratione ea quæ civitati competunt jura *privata* appellantur. 3. Inter civitatem ejusque subditos, quæ quidem: A. *publica* appellatur, quatenus ipso pacto civili, ipsa forma civitatis (ipsa reipublicæ regendæ disciplina) fundatur, et qua quidem ratione in subditos jura civitatis *publica* habenda sunt; B. *privata,* quatenus hoc ipso pacto, hac ipsa civitatis forma, non fundatur, unde jura civitatis heic spectata non possunt non *privata* haberi. Valet igitur etiam de civitate, quæ vulgo fit distinctio, de *imperante* cum quæritur, inter characterem ipsius publicum et privatum. Cum ipsa vita vitali civitatis libertas ipsius tam arcte cohæret, ut, sublata hac, illa tollatur necesse sit. *Libertas* igitur ad jura civitatis *privata* referri neutiquam potest. Privata autem sunt jura civitatis *in re* et *ad rem.* Quæ si quis violat, peccat, is quidem in civitatem, non tamen ita, ut delicti *publici* reus evadat.

Publica autem civitatis jura *summa potestate civili* continentur, cui omnes cives subjecti sunt. Quæ potestas tam necessario ad naturam vimque civitatis pertinet,

---

[7]) Quamquam supra haud alienum nobis visum est, *jura* respicientibus, *civitatem* cum *societate* sensu latiori sic dicta comparare, nemo tamen credat, nos eos esse, qui in constituendo Jure publico aut doctrinam illam de *"pacto originario"*, probemus quæ est C:i *Roussea* et eorum, qui ab illo profecti sunt, aut *v. Hallerii* de *"pactis privatis"* aut denique *Schmalzii* de *"pactis sic dictis particularibus"* (cujus proprium est illud: tot pacta subjectionis, quot subditi). Cfr. *Stübel* l. c.

ut sine ea nulla umquam civitas vel fingi vel revera existere possit. Qui igitur *publica* civitatis jura violat, peccando aut: A) in eum, qui summa potestate civili præditus est (qualis Rex vel Princeps est earum civitatum, ubi dominatu unius omnia tenentur, et quæ monarchicæ appellantur), vel omnino in aliam quandam partem eorum, quibus natura civitatis et quasi elementa continentur (ita ut civitatem ditioni alius civitatis subjicere, vel aliquam regni partem abalienare, vel reipublicæ formam atque disciplinam evertere moliatur, vel denique, violato officio subditi, aliud quoddam suscipiat facinus, quo periclitetur libertas regni et securitas); aut B) in magistratum aliquem, qui munere civitatis fungitur ejusque nomine agit, — is demum *publici* delicti reus appellandus est. Hæc igitur delicta duas classes constituunt.

Proposita igitur delicti publici notione, in qua explicanda eam sumus rationem secuti, quæ nobis ex hodierna Juris criminalis tractatione vera esse videtur, sequitur, ut breviter proponere ea crimina atque explicare conemur, quæ, ex Jure patriæ nostræ, ad primam illam classem, quam supra posuimus, referenda, *proditionis* nomine comprehenduntur.

§ 4.

Perduellionis nomen primis quidem Romæ temporibus cuique commune erat maleficio, quo declarabatur *hostilis* adversus rempublicam animus [1]). Appellabatur *perduellis* [2]) non solum qui in civitatem conjurationes struebat et seditiones, vel qui formam ipsius evertere studebat, verum etiam qui civem Romanum necabat vel hosti tradebat [3]). Omnium gravissima hujus criminis erat poena, virgis cædebatur

[1]) Habebatur *hostis* reipublicæ ejusmodi facinoris auctor, quem cum tota ipsius familia exstirpandum *ex jure gentium* existimabant, ita ut verum *jus bellicum* heic exerceretur. — De notione, quæ apud Romanos vocabulo *reipublicæ* erat subjecta, legas velim *J. Weiske,* Hochverrath und Majestäts-Verbrechen, das crimen majestatis der Römer, Leipzig 1836, p. 38 ff.

[2]) ”Quos nos *hostes* appellamus, eos veteres *perduelles* appellabant, per eam adjectionem indicantes cum quibus *bellum* esset”, fr. 234. pr. D. de verbor. signif. (50: 16).

[3]) De criminibus, quibus commune erat nomen *perduellionis* (cujus in loco interdum occurrunt vocabula: *proditio, paricidium)* cfr. *J. H. Zirkler,* die gemeinrechtliche Lehre von Majestätsverbrechen und Hochverrath, Stuttgart 1838, p. 6 ff. Pag. 11 hæc habet verba: ”Die dunkelste Partie bleibt freilich die, wie das *parricidium* zu dieser Gesellschaft kommt, besonders wenn man weiss, dass Mord und Todschlag bei den meisten Völkern auf der Culturstufe der alten Römer als blos-

facinoris auctor, deinde in arbore, quæ infelix nominata erat, suspendebatur. Cum incrementa cepissent res publicæ, nec amplius poenas vel capitis, vel quæ corpori infligebantur, toleraret liberior ille civium spiritus, nequaquam ut antea valebat judicium perduellionis. Orta erat de *majestate* populi Romani opinio, qua omnem amplitudinem et dignitatem sibi fingebat superbus ille civis Romanus, populo et reipublicæ tribuendam, quæ vero opinio eam ipsam ob caussam, quod hæc omnia complectebatur nullisque circumscripta erat limitibus, nihil certi et definiti continebat [4]). Quod idem valet de crimine majestatis, cujus quidem notio omnia complectebatur, quibus periclitaretur securitas civitatis interna vel externa, vel etiam potestas, auctoritas dignitasve populi Romani. "*Majestatem* is *minuit,* qui ea tollit, ex quibus rebus amplitudo civitatis constat [5])". Sanciebantur per varios temporis decursus variæ majestatis leges [6]), quarum usque ad posteriora tempora *Lex Julia majestatis* [7]) magni fuit momenti. Mutata rei publicæ facie, in personam *Imperatoris* translata fuit majestas, unde crimen, de quo agitur, non potuit non in ipsum etiam commissum haberi. Inde factum est, ut latior fieret hujus quidem criminis notio, quamvis, sicut et antea, non ita limitaretur, ut sigillatim enumerarentur omnes, quæ ad hoc referendæ essent actiones, unde etiam vastus Imperatori campus erat apertus, in quo exspatiaretur, dum actiones sibi non gratas, quamvis innocuas, in violationes majestatis detorqueret, et homines ipsi invisos, vel quorum bona ipsi placerent, utpote majestatis reos condemnandos juberet [8]). Attamen hoc modo imperantibus servire,

---

ses Privatverbrechen gegolten haben — — — —; es lässt sich indessen gar wohl mit der kriegerischen Lage einer um ihren Existenz ringenden Colonie vereinigen, wodurch die Brüderschaft eine so eng geschlossene Verbrüderung bildete, in welcher Alle für einen und Einer für alle stehen mussten, und jede vorsätzliche Tödtung als die unverzeilichste Störung des innern Friedens galt".

[4]) Majestas est amplitudo et dignitas civitatis. Cic. de Or. II: 12. — *Weiske* l. c. p. 34: "Die Römer stellten di Majestas populi unmittelbar neben die der Götter. Unter den Kaisern büssten sie dies aber hart genug, indem sie diese auf sich übertrugen".

[5]) Ad Herennium II: 12. fr. 1. § 1. D. ad leg. jul. majest. (48: 4).

[6]) *Apuleja* (Cic. de Or. II: 25, 49), *Varia* (662), *Cornelia* (671), *Julia* a Julio Cæsare lata (706). Sunt qui *aliam* legem Juliam ab Augusto latam fuisse autument, quod vero pro certo nequaquam statuere licet.

[7]) Cfr. D. 48: 4. Ad legem Juliam Majestatis. Cod. IX: 8.

[8]) Imperantibus Tiberio, Caligula, Nerone, et qui cum his idem sentiebant, crimen majestatis habi-

genuinæ illi jurisprudentiæ Romanæ minime conveniebat. Progrediente juris peritia, hujus quidem criminis nomine *ad exemplum* insigniebantur multa delicta, quæ lege majestatis ab initio nequaquam essent comprehensa; quamquam vero claram et perspectam hujus criminis definitionem apud jurisconsultos Romanos haud facile inveniamus, in laudem ipsorum fateamur, de hoc crimine eos ita sensisse, ut ad ipsius vim et naturam *animum hostilem* semper pertinentem habuerint, notissimum illud: "*an potuerit facere*", numquam non secum reputantes [9]), unde cautum est, ne ad hoc crimen referretur quævis actio inconsiderata, temeraria consiliique expers. — Insignia præ ceteris sunt quæ de crimine majestatis a Theodosio magno leniter [10]), ab Arcadio et Honorio crudeliter [1]) constituta fuere. Recentioribus tamen disquisitionibus compertum est, constitutionem istam Arcadii et Honorii maximam ad partem non nisi ea, quæ antea statuta erant, continere [2]). Nec in compilatione Justiniani certam ac definitam criminis majestatis notionem invenire licet. Sunt quidem in Dig. 48: 4,

---

tum fuit: si quis *prope statuam Imperatoris* servum flagris cæderet, vel vestem suam mutaret; si annulum portans signatorium, cui insculpta erat imago Cæsaris, locos visitaret vita dissoluta insignes; si supra statuam Cæsaris aliam locaret statuam; si cum horto statuas ibi positas imperatorias venderet; si lapide jacto statuam attingeret imperatoriam, vel prope hanc necessitati naturæ pareret. — Optimo igitur jure de crimine majestatis judicat Tacitus, esse hoc "omnium accusationum complementum". Taciti Annat. III: 22.

[9]) *Modestinus*, in fr. 7. § 3. D. Ad legem Jul. Majestatis (48: 4). Cfr. *Zirkler* l. c. p. 192. *Weiske* l. c. p. XVII.

[10]) Data est Constitutio illa Theodosii a:o Chr. 393, hæc habens: "Si quis modestiæ ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac tumulentia turbulentus obtrectrator temporum nostrorum fuerit, eum poenæ nolumus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere, quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria remittendum. Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, et utrum prætermitti, an exquiri debeant censeamus". Cfr. Cod. IX: 7. (Si quis imperatori maledixerit).

[1]) Habet, ut probe cognitum est, pro crimine majestatis constitutio Arcadii factiones in *magistratus superiores*, "*nam et ipsi pars corporis nostri sunt*", poenam quidem hujus criminis etiam ad filios filiasque auctoris extendens. Non solum ad codicem Theodosianum (const. 3 Cod. Theod. ad legem Cornel de sicariis), Codicem Justin. (const. 5 — Quisquis cum militibus etc. — Cod. ad leg. Jul. majestatis), sed etiam ad Edictum Theodorici (art. 113), Jus Canonicum. (c. 22. Caussa 6. qu. 1. — Dist. 1. cap. 9. de poenitentia, cap. 5, de poenis in 6:to) et Auream Bullam Caroli IV (c. 24. § 2), transiit ista constitutio.

[2]) *Abegg*, Beiträge zur richtigen Erklärung d. fr. 1 § 5. Cod. ad leg. Jul. Maj (IX: 8) in N. Arch. d. Crim. R. B. VII, p. 141 ff.

Cod. IX: 8 et VII variæ actiones [3]) huic crimini adnumeratæ, sed in § 3 J. de judiciis publ. crimen majestatis commisisse habetur "qui contra imperatorem vel rempublicam *aliquid* molitus est". Cum desiissent quæstiones perpetuæ, data vero judicibus potestas mitius, quam præcipiebat lex, puniendi, hæc quidem potestas sine dubio etiam in dijudicandis criminibus majestatis generatim fuit adhibita. — Valent etiam de *conatu* criminis majestatis quæ pag. 4 de actionibus conandi *(försöks-handlingar)* generatim spectatis secundum jus Romanum a nobis proposita sunt. Inanis certe est opinio eorum, qui etiam remotissimum hujus criminis conatum eadem in hoc jure poena, qua delictum consummatum, affectum fuisse existiment. Orta quidem est ista opinio, legislationi de hoc crimine posterioris ævi tam male consulens, quia const. 5 Cod. leg. Jul. majest. male intellexerint interpretatores. Nonnisi paucæ [4]) earum, quas nos *conatus* habemus actiones, in Jure Romano expresse enumeratæ, crimina majestatis habentur et ita habitæ vindicantur.

---

[3]) Quales sunt: "si cujus opera dolo malo consilium initum erit, quo *obsides* injussu principis interciderent; quo armati homines cum telis lapidibusve in urbe sint convenerintve adversus rempublicam, locave occupentur vel templa; quove coetus conventusve fiant, hominesve ad seditionem convocentur; quo quis magistratus populi Romani, quive imperium potestatemve habet, occidatur, quove quis contra rempublicam arma ferat". Si quis hostibus populi Romani nuntium literasve miserit, signum dederit, milites sollicitaverit vel concitaverit, quo seditio tumultusve adversus rempublicam fiat; si quis de provincia, cum ei successum esset, non discesserit, si quis exercitum deseruerit, ad hostes perfugerit, civem hosti tradiderit, injussu principis bellum gesserit vel exercitum comparaverit"; — si quis factis, verbis, vel etiam signis, in vitam Imperatoris vel dignitatem quidquam commiserit ("Qui statuas aut imagines Imperatoris jam consecratas conflaverit, *aliudve quid simile commiserit,* lege Julia majestatis tenetur"). — Ad crimen majestatis etiam referebantur: Adulteratio nummorum et chartarum publicarum, eorumque delictum, qui "confessum in judicio reum et propter hoc in vincula conjectum, emiserunt", vel etiam qui "*privati* exercuerunt carceris custodiam". In quædam horum criminum etiam alia lege poenali, e. c. Lege Cornelia de falsis, lege Julia repetundarum, pro animo auctoris et effectu criminis animadverti potuit. Cfr. const. 2 Cod. de falsa moneta (9: 24), const. 1 Cod. de privat. carc. inhil (9: 5). — *Obs. 1.* Erat primigenia criminis majestatis poena aquæ et ignis interdictio, quæ postea in poenam capitis mutabatur. — *Obs. 2.* Etiam post latas de crimine majestatis leges interjecto aliquo tempore, judicia *perduellionis* retinebantur, mitius vero expressa. Cfr. *Zirkler* l. c. p. 40. *Hepp* in Archiv. d. Cr. R. 1837, p. 373. Cum vero paullatim evanuissent judicia illa, *vocabulum* tamen *perduellionis* in usu esse non desiit. Distinguit in notissimo fr. ult. D. ad leg. Jul. Majest. Ulpianus inter eum, qui *perduellionis reus est, hostili animo adversus rempublicam vel principem animatus,* atque eum, qui *ex alia caussa legis Juliæ majestatis reus est;* minime tamen hoc loco plures hujus criminis classes distinguuntur atque gradus inter se diversi, sed ii tantummodo indicantur casus, in quibus, quamvis *in reatu* diem obiret supremum accusatus, locum obtinuit bonorum confiscatio.

[4]) Quænam hæ sint actiones, vide sis *Zachariä* l. c. p. 361 ff. — "Nec *lubricum linguæ* ad poenam

Apud populos Germanicos e *proditionis* notione egrediebantur legislatores in definiendo, quod iis gravissimum videbatur crimen, violationem dico status communis. Existimabatur sensu latiori proditio id esse maleficium, quo violata erat *fidelitas,* domino vel superiori debita; quo quidem sensu committi poterat non solum in patriam et regem a cive, in dominum feudi a vasallo, sed etiam si quis parentes, conjugem, propinquos, socium tentorii vita privaret. Altissimis hæc omnia radicibus defixa erant in vita Germanorum sociali rebusque ut ajunt feudalibus. *Altam* appellabant (*"Hochverrath"*) proditionem publicam, cui opposita erat privata [5]). Brevi vero temporis intervallo quæ de crimine majestatis statuerat jus Romanum etiam in jus Germanicum magnam vim exseruere. A re nostra alienum est hujus criminis ex jure *Germanico* conficere historiam [6]), hoc tantummodo observatum volumus, cum CCC. *proditionis* ("verreterey"), sensu solum Germanico, mentionem faciat [7]), præcepta vero de *crimine majestatis* juris Romani cognita ponere videatur, non minus commentatores quam practicos sæculi XVI ea, quæ in CCC. de-

---

facile trahendum est". D. 48: 4, 7. § 3. "Turbulentus obtrectator temporum nostrorum" atque qui "contra constitutionem meam pronuntiat" poena criminis læsæ maj. non tenetur. Cfr. Cod. IX: 7. — De caussa, cur latius extenderentur præcepta juris Germanici circa puniendum criminis majestatis conatum, cfr. *Hepp* in Arch. d. Cr. R. 1837, p. 387 ff.

[5]) Exstat acutissimum in jure Britannico inter *altam* et *minorem* proditionem discrimen: "Treason, proditio, in it's very name (which is borrowed from the French) imports a betraying, treachery, or breach of faith. It therefore happens only between allies, saith the Mirror: for traeson is indeed a general appellation, made use of by the law, to denote not only offences against the king an government, but also that accumulation of guilt which arises whenever a superior reposes a confidence in a subject or inferior, between whom and himself there subsists a natural, a civil, or even a spiritual relation; and the inferior so abuses that confidence, so fongets the obligations of duty, subjection, and allegiance, as to destroy the life of any such superior or lord. This is looked upon as proceeding from the same principle of treachery in private life, as would have urged him who harbours it to have conspired in public against his liege lord and sovereign; and therefore for a wife to kill her lord or husband, a servant his lord or master, and an ecclesiastic his lord or ordinary; these, being breaches of the lower allegiance, of private and domestic faith, are denominated *petit* treasons. But when disloyalty so rears it's crest, as to attack even majesty itself, it is called by way of eminent distinction *high* treason, *alta proditio;* being equivalent to the *crimen læsæ majestatis* of the Romans, as Glanvil denominates it also in our English law". *Blackstone* Commentaries on the Laws of England, Book IV, Ch. 6, London 1791, 4: pag. 75.

[6]) Hanc historiam legas e. c. in: Geschichte und System des deutschen Strafrechts von *K. F. Rosshirt*, Stuttgart 1839, 2 Th. p. 25 ff.

[7]) Die Peinliche Gerichtsordnung Kaiser Karls V vom J. 1532, Art. 124. Ed. *Henrici Zoepfl.* Heidelberg 1842, p. 238.

essent, ex Jure Romano ita complere studuisse, ut firmo destitueretur fundamento tota hujus criminis doctrina, quam ut ex disjectis juris Romani membris componerent, enitebantur. Pro *delicto excepto* hoc crimen habebant, *conatum* eadem qua ipsum delictum consummatum afficiendum esse poena, sibi fingentes. Generatim maxime invaluit disciplina eorum, qui, ut a male faciendo *deterreant,* constitutas esse poenas existiment; quam quidem disciplinam præsertim ad hoc crimen accommodare conati sunt. Scriptores [8]) demum in finem vergentis sæculi XVIII magnam sibi laudem comparavere partim cavendo, ne justo latior foret hujus criminis notio, partim vim ipsius atque ambitum accuratius definiendo. Hæc denique monemus, jam sæculo XVII et initio XVIII:i JC:tos [9]) crimini majestatis, utpote *generi,* partim perduellionem, partim crimen *læsæ* majestatis *sensu strictiori,* utpote *species* subjecisse, illius quidem criminis (perduellionis) quemque habentes reum, qui, violato officio subditi, contra civitatem vel principem animo hostili *aliquid* machinetur; ad hoc vero crimen, eorum referentes maleficium qui *in contemtum vel contumeliam* principis aliquid committant.

Ex jure etiam antiquo *Patriæ nostræ* non solum in ipsam civitatem et in regem, sed in unumquemque dominum et patremfamilias committi poterat proditio. A parte familiæ et domus, cui præerat, huic competebat eadem veneratio et fidelitas quæ regi debebatur a parte majoris illius familiæ, quæ *regnum* ipsius nominata est. Ingravescebat crimen læsæ regis personæ, non majestatis ipsius sed dominatus herilis ratione habita. Leges provinciarum *(Landskapslagarne)* gravissi-

---

[8]) *Klein,* Grundsätze des peinl. Rechts, § 500 ff. *Kleinschrod,* Ueber den Begriff und die Strafbarkeit des Hochverraths, nach allgemeinen Grundsätzen, in (alten) Arch. d. Cr. R. 1 B. (1798) p. 32 ff. *Feuerbach* philos. jurid. Untersuchung über das Verbrechen des Hochverraths, Erfurt 1798. *Grolman,* Grundsätze der Criminalrechts-Wissenschaft (Vierte Auflage, Giessen 1825, § 325 ff.). — In recentioribus, qui de hoc crimine scripserunt, hos nominatos volumus: Das Majestäts-Verbrechen philosophisch-juridisch erklärt von *H. Winter,* Berlin 1815. Vier Abhandlungen über Gegenstände der Strafrechtswissenschaft, von *H. Escher,* Zürich 1822, p. 225 ff. *Hepp,* Beiträge z. Lehre v. Hochverrath, Bern 1834. *Rosshirt,* Ueber Hochverrath und die angrenzenden Verbrechen, in N. Arch. d. Crim. R. IX: 140 ff. Libros CC. VV. *Weiske* et *Zirkler* supra citatos. *Hepp,* die Bestimmungen d. Röm. R. über d. Hochverrath, in ihrem Verhältnisse zur heutigen Doctrin und Praxis, in Arch. d. Cr. R. N. F. 1837, p. 358 ff. *H. A. Zachariä* Ueber den Versuch d. Verbrechens d. Hochverraths, ibid. 1838, p. 221 ff. *Mittermaier,* in Staats-Lexikon, herausgegeben v. Rotteck und Welcker, 8 B., p. 201 ff. (Altona 1839).

[9]) Cfr. e. c. *Böhmer* elem. jur. crim. L. II, tit. 12, §§ 3, 16.